

nominat conservatorem omnium hominum, maxime vero piorum, I Tim. IV, 4; & Psaltes Pf. IV, 4, quando omnes ad hujus appropinquationis considerationem cohortatur his verbis: וְדַעוּ כִּי הַפְּלֵא יְהוָה חֲסִיד לֹו, quæ SEB. SCHMIDIUS non male ita transtulit: *Agnoscite quæso, quod mirabilem faciat Jehova sanctum ipsi, & LUTHERUS: Erkennet doch, daß der Herr seine Heiligen wunderbarlich führe.* Sine dubio huc etiam pertinent verba Apostoli illa, quæ occurrunt, Phil. IV, 5, sq., ὁ Κύριος ἐγγύς, μηδὲν μεριμνᾶτε, *Dominus propinquus est, nolite quicquam curare.* Psalmo CVI, 7, sq., describitur hæc appropinquatio Nominis divini per יְהוָה נִפְלְאוֹת *admirabilia Dei opera,* & רַב חֲסִדוֹ, *amplitudinem benignitatis ipsius, quam etsi majores ejusdem in Ægypto & deserto non intellexerint, Deus tamen illis exhibuit, לַמַּעַן שְׁמוֹ לְהוֹדִיעַ אֶת-גְּבוּרָתוֹ, propter Nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.* Hæc est illa appropinquatio Nominis divini, quam experti sunt omnes propemodum Patriarchæ, in primis Enochus, Noachus, Abrahamus, Isaacus & Jacobus. Hanc experti sunt Moses & populus Israeliticus, omnesque sancti Dei Viri V. T., maxime David & Elias. Neque est, neque fuit, neque deinceps erit, quisquam vere fidelium N. T., qui non identidem repetat illud Mariæ ex Luc. I, 46, sqq., *magnificat anima mea Dominum, & exsultat spiritus meus super Deo Servatore meo, quia magnifice mecum egit potens ille, cujus sanctum est nomen, & cujus misericordia in omnes ætates parata est timentibus ipsum,* qui non cum Davide hanc Nominis divini appropinquationem sibi exoret, ex Ps. XVII, 7, הַפְּלֵא חֲסִידֶיךָ, *fac mirabiles benignitates tuas, qui servas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.* Norunt omnes sancti, quod hæc appropinquatio Nominis divini, secundum singularem providentiam, etiam ad effectus justitiæ divinæ se extendat, adeoque in dissipandis quoque superbis cogitatione cordis sui, in detrudendis potentibus de throno, & extollendis humilibus, in exsatiandis esurientibus, & divitibus dimittendis inanibus, similibusque judiciis divinis admirandis, & sæpe prorsus inusitatis, sese exerat, Luc. I, 51, sqq., hinc in omni insultatione hostium ad Deum devolvuntur, & tales cum Davide preces fundunt, ex Psalm. XXII, 20: *Tu ergo, Jehova, ne procul absis, virtus mea ad auxilium festina, eripe a gladio animam nostram, & a cane unicam; Serva nos ab ore leonis, & a cornibus unicornium, exaudiens nos. Nos*
e contra-